



QUOD DEUS OPT. MAX. BENE VERTAT.
**CONTROVERSI-
ARVM IVRIDICARVM**

ILLVSTRIVM.
HEPTADEM.

1667 10. ✓

PRÆSIDE
VIRO

*Magnifico, Nobilissimo & Consul-
tissimo*

DN. IOHANNES REBHAN,
Jcto, Com. Palat. Cæsar. Cod. & Feud. Consuet.
Prof. P. Celeberrimo, Colleg. Jurid. Senior. gra-
vifs. divers. Stat. Consiliario.

DN. Patrono, Fautore, & Præceptore suo ævum
venerando,

Publicè disputaturus

GEORG. BALTHASAR. HEDD.
Heilbronnensis.

Ad d. 7. Mens. ~~Januarij~~ ^{Februarij} h. lq. sol.



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXVII.





S. Rom. Imp. Reipublicæ
HEILBRONNENSIIUM

INCLYTÆ

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
ET CONSULTISSIMIS.

DN. DN.

CONSULIBUS, PRAETORI, QUATUOR-
VIRIS, SYNDICO, RELIQUISQUE SENA-
TORIBUS GRAVISSIMIS, ET
PRUDENTISSIMIS.

Dnn. Mœcenatibus, Patronis, Parenti,
& Cognatis suis perpetuâ submis-
sione ætatem suspiciendis.

*Quæstiones has Juridicas
sacras esse vult*

GEORG. BALTHASAR Heyd.
A. & R.



Ausæ, Viri Nobilitate generis, munerum magnificentia, prudentiæ amplitudine, auctoritatis gravitate, & Doctrinæ claritate Splendidissimi, causæ, inquam, quæ me impellunt, exercitio huic Academico Vestrum Amplissimum nomen inscribere sunt quam plurimæ. Sileat licet naturalis lex, quæ me alias districtum Vobis tenet, & obæratum. Transeat licet Parentum jussus, qui mihi semper est pro Imperio, quemque sine pietatis violatione transgredi nunquam possum; attamen ad hoc exercitium suscipiendum benevolentia Vestræ hætenus in me indignum collatæ incomparabilis numerus incitat, imo vocat; Annon enim ille ingrati signo esset notandus, qui cum magnum beneficiorum sentiret cumulum, nullam reponeret gratiam? Annon ille ut ingratus esset reprehendendus, qui cum Favorem Vestrum quam maximè quam sæpissimè sentiret, nihil nec quid exiguum & Vestro Favore dignum reponeret? Annon ille ingrati vitio extremè laborare esset dicendus, qui cum variis admonitionibus salutaribus Vestris ob consilii inopiam ductus redhostimenti nihil reponeret? Hæc jam enarrata beneficia cum largiter in me à largifluo quasi beneficiorum fonte VV. NN. & A A, ferè ab incunabulis

bulis præter meritum meum fluxerint, idcirco, ne & ipse eodem ingrati noter asterisco, pro iis beneficiis mentem Vobis gratam benefactorumque memorem repono, & quia æquivalens non habeo supra commemoratis beneficiis, Exercitium hoc Academicum quamvis exiguum, grati animi tesseram, Vobis offerre volui, & dedicare, hâc bona fretus spe, Vos Tyrocinium hoc Nominibus Vestris consecratum Amplissimis benignâ mente & manu suscepturos, idque non ex sua quantitate & qualitate, sed offerentis affectu pio & humillimo animo æstimaturos, & uti hæcenus, ita quoque posthac benevolentia Vestrae rivum in me diffusuros. Quo pro beneficii genere ambas summo & immortalis Deo nostro consecrabo palmas. Vos ut per plures annos omni prosperitate uti frui, clementissimè dignetur. Quod superest, me, meaque studia, quam optimè recommendata habere velit, rogo, quamdiu mundus me habebit incolam, monebo

VV. NN. & AA.

Cliens subjectiss.

G. B. Hend.



Implorato Divini Numinis auxilio!

QUÆSTIO I.

An Princeps legibus sit solutus?

Quod ab Ulpiano Jcto in *libr. 13. ad l. Jul. & Pap.* clarissimis verbis traditum, & ex eo auctoritate legislatoria seu Imperatoria à Compileribus Juris Romani in *l. 31. ff. de ll.* relatum & approbatum est axioma: *Princeps legibus est solutus*: idem postea à Curiositate Interpretum opinionum tenebris involutum, in problema ἀπορον & inexplicabile versum est. Ne enim de iis dicam, qui hic distinguendum esse tradunt. 1. Inter vim legum directivam & coarctivam: & quod hac, non autem illa Princeps sit solutus, post Thomam de Aquino: Dominicum à Soto: Gregorium de Valentia: Franc. de Mendoza. 8. *viridar.* 10. Keckerman. in *Systemm. Polit.* c. 3. p. 12. Fachin. 1. *controv.* 2. Lopez. 1. *animadv.* 35. n. 4. vel. 2. Inter Principem ut Principem, & Principem ut hominem: hocque respectu, eum legibus vivere teneri; illo verò iisdem solutum esse. vel 3. Inter *παμβασιλείαν*, sive potestatem Principis absolutam, & civilem. Anti Machiavellus *theorem.* 1. vel 4. Inter absolutam Principis potestatem & ejusdem officium: quodque secundum illam Princeps dicatur legibus solutus; secundum hoc verò, quod legibus vivat. §. *ult. l. quib. mod. Test. infirm.* Hahn. in *observ. ad Wesenb.* π. ff. de *ll. n. 7.* vel 5. inter Majestatem, quam sustinet Princeps, & inter Principis personam. Schottan. in *exam. iur. rit. de constitut. Princip. quast.* 4. & 5. qui vel 6. distinguendum putant inter leges Divinas, Naturales seu Gentium, & positivas Civiles: atq; his, non illis Principem esse solutum: quæ penè communis & vulgaris est sententia, uti videre est post Bald. 4. *Cons.* 269. apud Treutl. 1. *disp.* 1. *rb.* 6. *lit. b.* & ibi Hunn.

A 3

quast.

quest. 35. Reinking. de Regimin. secul. & Eccl. 1. cl. 3. c. 12. n. 12.
Schönborn. 3. Polit. 5. Cubach. 1. decad. 3. quest. 1. Mudæum
in Comm. ad T. Cod. qui Test. fac. poss. quam ipsam tamen sen-
tentiam alii restringunt. 7. ad leges positivas solennes tantum,
in quocunque actu certas & peculiare solennitates requirentes.
Donell. 1. Comm. 17. Coraf. 2. miscell. 25. Vasquez. 1. controv.
Illust. 26. n. 15. Bronchorst. 1. asser. II. per l. 3. C. de Testam. ibi
lex Imperii solennibus solvit. l. 14. §. 1. ff. de manumiss. l. 34. ff. de
donat. l. 26. C. de donat. inter V. & V. 8. Alii ad leges positivas
Caduciaras & pœnarias, cum Græcis Interp. Cujac. 16. observ.
30. & 26. obs. 35. Morla in Empor. Jur. p. 1. ff. quest. 1. arg. inscri-
ptionis allegata. l. 31. ff. de ll. quæ desumpta ex lib. 13. comm. ad
l. Jul. & Pap. 9. Alii denique huic Ulpiani assertioni ab Imp. Ca-
nonifatae expressè contradicunt, & quidem verbis non nihil ci-
vilioribus, nempe, Principem legibus solutum videri. per l. 23. ff.
de legat. 3. ibi. quibus ipse solutus videtur, non autem reapse le-
gibus solutum esse. Gothofred. in not. ad Nov. 105. cap. 2. in fin.
quem laudat Schottanus varians. 1. Pand. 14. lit. b. quod acui rem
hic tetigerit, vel 10. quod quidem per privilegium quoddam
Imp. à Populo per L. Regiam legibus solutus fuerit: Hoc tamen
postea expiravit, quando ipsimet Imp. sese ll. alligatos confessi
sunt. §. ult. 1. quib. mod. Test. infirm. l. 4. C. de ll. Hortleder. in
disp. de rat. ll. publ. th. 25. Alii verò ii. durioribus & categori-
cis, Principem non esse legibus solutum, sed æque ac reliquos
regni subditos, legibus obligatum eum esse pronunciant. Ita
Morla fluctuans in Emp. Jur. T. d. l. quem sequitur Calvinus
Jctus & Antecessor olim Palatinus qui non veretur Ulpiano
adulationis notam inurere, & ex eo Avenar. in disput. de jurispr.
natur. th. 60. qui th. seq. sententiam verborum Ulpianeorum
simplicem, Bartolistarum commentum, tam impietatis, quam
adulationis plenissimum increpat, cavendumque monet, ne
dum Principem legibus solvunt, semetipsos infernalibus Caco-
dæmonum catenis illigent. Ita in errorum devia divertimur,
quotiescunque nostra opinione ducti, à legitimis tramitibus se-
cedimus, & ipsam rectæ rationis lucem ductricem negligimus.
Etenim Principem legibus esse solutum non tantum tot in vo-
luminibus Juris passim occurrentia loca contestantur, ut d. l. 31.
ff. de

ff. de ll. ibi. Princeps legibus est solutus. §. ult. l. quib. mod. Testam. infirm. ibi. licet legibus soluti simus. l. 23. ff. de legat. 3. l. 14. §. 1. ff. de manum. l. 26. C. de donat. inter V. & V. l. 3. C. de Testam. l. 3. C. de quadrien. præscript. l. 34. C. de donat. Novell. 23. c. 2. & imprimis Nov. 105. c. 2. ibi. omnibus dictis Imp. excipitur fortuna. Verum etiam ipsa recta ratio comprobatur, qua quoque Imp. in *d. Nov. 105. c. 2.* nititur, nempe, quod Deus Imperatori ipsas leges subjecerit, eundem supra omnes leges constituerit, omnemque condendi, interpretandi & abrogandi leges potestatem concesserit. *l. 1. l. ult. C. de ll. Cubach. 4. Brocard. 11. pag. 68.* dum enim Deus Principi Majestatem præeminenter & secundum excellentiam tribuit, eum supra communem & vulgarem illam hominum sortem extollens, hoc ipso etiam eidem, quæ Majestati sunt connexa & consequentia, nempe solutam legibus potestatem eidem tribuisse necesse est, *Reinking. d. l. de Regim. secul. & Eccl. cl. 3. c. 12. n. 1. Adam. Coetze. 5. Polit. 5. §. 11.* Unde festive, sed satis accommodè *Mathes. ad Syrac. c. 29.* imperativum dicit carere prima persona. Hoc ipsum enim est Jus Principis. *Bachov. in Comm. ad §. ult. l. quib. mod. Testam. infirm.* Siquidem qui legibus est subjectus, eum oportet superiorem, saltem aliqua ratione, & respectu recognoscere, & consequenter eum non omnibus verè superiorem esse omnino consequitur: quod utique pugnat cum Majestate & prærogativa Imperii, quam Imperator, sive Princeps undecunque, & in quoscunque habet. *Bachov. ad Treutl. 1. disp. 1. th. 6. & part. 1. ff. de Constit. Princip. n. 8. Wesemb. in 7. ff. de ll. n. 7. Cui Dn. D. Hahn. ibid.* aliam mentem contra bonum morem affingit. *Limnæus. 1. I. Publ. 2. c. 8. n. 57.* Deus itaque est, à quo summa hæc potestas, qui legem hanc Regiam, legem Imperii constituit, & Imperatori in omnes subditos, Imperii cives, omnem potestatem & imperium omni modo concessit, qua de in *§. 6. l. d. I. N. G. & C. & Dio Cassidor. libr. 53.* inquit: Principes liberos esse ob omni legum necessitate, nec ullis Constitutionibus seu sancitis coerceri: populum Legge Regia (à translato Imperio & Reipublicæ regimine sic dicta, *Hortleder. disput. de rat. leg. publ. th. 28.*) lata, omni legum necessitate eundem absoluisse, ei & in eum & jus & leges & potestatem omnem, & arbitrium concessisse omnia quæcunque vellet.

let.

let, agendi, & quæ non vellet, omittendi. *l. 1. ff. de Const. Princip.* τὸ κρείον enim & jus quod antea penes universum populum erat hoc ipsum postea Princeps obtinuit, habuit. Hunc itaque cum omnes & singuli tam pro se, quàm supra se esse noverint. *l. 7. C. de bon. qua liber.* facile quilibet etiam animadvertit, ejusdem potestatem ullis legibus limitatam esse neutiquam posse. Atque hanc legem Regiam Rom. non Imperatores primum legibus solvissent, sed à primæva hominum congregatione manserunt, atque ita in mores & jus abiisse, ne Principi lex poneretur, limato satis judicio demonstrat Ludovic. Vives *7. de Caus. corrupt. ar. pag. mibi. 427.* add. Plinius in *Panegyrico. ibi. leges nemo Principi scripsit.* Justin. in *Epit. Histor. lib. 1. c. 1. ibi. ab initio Principum arbitria pro legibus fuere.* Pomponius in *l. 2. §. 1. & 14. ff. de O. l. ibi. initio civitatis hujus constat Reges omnem potestatem habuisse.* Verissimum itaque Principem legibus esse solutum, h. e. Principi superiorem non recognoscenti, nullam legem esse positam, cui ipse parere teneatur: qui enim suis consiliis, suisque laboribus pro toto terrarum orbe, die noctuque laborant, quare non habeant dignam sua prærogativa fortunam. *d. l. 3. C. de quadrienn. præscript.* quique ita erga rem publicam animati sunt, ut revera majus imperio esse putent legibus vivere. *l. 4. C. de ll. d. §. ult. 1. quib. mod. Test. infir.* Principis enim & Imperatoris, & Regis nomina justis tantum congruunt. Plato *de Republ. dialog. 9.* Pinell. *ad rubr. C. de rescind. Vendit. p. 1. n. 25.* hic solus Princeps intelligitur, qui subditorum, non suum commodum quærit. Arist. *8. Pol. 10.* qui se electum novit, non ut se molliter curet; sed ut ij qui eum elegerunt, per ipsum bene beatèque vivant. Lipsius. *2. Pol. 9. fac. in arg. princ. præm. Instit.* Errant itaque omnes illi, supra notati, & vel ignorando elenchum, vel fallendo causa & accidente, principiumve petendo: Siquidem in verbis illis Ulpiani *in d. l. 31.* nihil aliud continetur, quam axioma summæ potestatis, sive Majestatis, quæ cum utpote cuncta transcendens, defini-ri non possit, placuit Jcto, hoc effato eandem exprimere: nullatenus verò Principem hoc ipso informare, ut sua hac potentia in suæ ditionis populos, à Deo concredita, ad libidines, crudelitatem, superbiam, rapacitatem, proprio vel alieno motu instigatus, abutatur: quin potius, ut Deum, à quo tantam potestatem habet.

habet. Rom. 13. Novell. 6. in prefat. Novell. 69. c. 4. v. 1. in fin. qui-
que scelera non relinquit impunita devotè reverentur. Thuan.
lib. 43. Histor. de Anno 1568. Betsl. in tr. de p. & fam. illust. c. 6.
p. 160. Siquidem Deus ipsis potestatem non dedit peccandi
aut alienū auferendi. Bart. ad l. ult. n. 2. in fin. C. si contra jus vel
util. publ. non tradita est Principi servitus, sed tutela Civium:
nec Respublica illius est, sed ille Reipublicæ. Senec. lib. de cle-
ment. ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascantur. l.
6. C. unde vi.

Q U Æ S T I O II.

An is, qui Patre antè adeptam regiam digni-
tatem, an verò, qui eo consecuta jam reg. a
dignitate natus, sit in regni successione
preferendus?

Multos multa olim primogenitura concessisse privilegia
imò præ cæteris quadam donasse prerogativa primoge-
nitos, constat ex Andri. Tiraquell. tr. de jur. primogenit. qui de
primogenitorum præcipuis, seqq. habet verba: quod ipsorum
privilegia fuerint, à dextris Patris sedere, cibos duplicatos acci-
pere, & duplicem in hereditate Patris habere partem. Hinc
Herodotus, apud unversas gentes ita fuisse constitutum, scribit,
ut maximus natiu liberorum obtineret Principatum. Cui etiam
sententiæ adstipulatur supra alleg. Tiraquell. inquirens: sem-
per par fuit, & semper erit, quod gaudens honore primogeni-
tura successione jus habeat in regno: hoc ll. & consuetudines
populorum hinc inde comprobant, utpote ll. Germaniæ, Gal-
liæ, Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, aliorumque quibus etiam
calculum suum addunt S. literæ, quæ primogenitis jus primoge-
nitura haud denegant: nam constat jus hoc non tantum apud
Moabitas, uti colligere est, ex 2. Reg. 3. v. ult. Verum etiam apud
iplos Ebræos, nisi à Deo specialiter alii regnum deputatum es-
set, usitatum fuisse. Unde de Josaphato Rege refertur, quod
cum reliquis filiis magnam auri argenti que copiam dedisset, ur-
besque

besque quasdam munitas, Joramo filio regnum tradiderit, quia erat primogenitus. 2. Paral. 21. v. 3. Ex quibus omnibus modo dictis luce meridianâ clarius apparet, primogenitum vel natu majorem, non tantum quoad honores, verum etiam in hereditatibus, & privilegiis, præ cæteris prærogativam quandam habuisse. Primogenitura ergò cum tot promittat, ut antea audivimus, honores, tot concedat privilegia, ipsam etiam secum ferat hereditatem, non immeritò quaeritur: *quis horum alteri sit preferendus in regno, An is, quem natura quidem felicitas, & privilegium aetatis fecit primum; an verò alter, qui primus in regno vel à Rege natus est?* Cum in Jure nostro non de omnibus & singulis casibus semper, qui in quaestionem veniunt, expressim aliquid decidatur, Jus enim nostrum finitum, certisque l. circumscriptum est, casus autem sunt infiniti, naturaque semper deproperat edere novas formas: ideoque argumentatione quadam casus expressos ad similes transferimus, ex iisque negotia proposita definimus, quod meritò quoque in hac quaestione fit: Sed quia DD. maximè hac in re inter se dissentiunt, ideo paucis argumenta eorum, qui successionem illi, qui post dignitatem à Patre adeptam hanc in lucem prodiit, attribuunt, perlustremus. Et primò quidem argumentantur ex definitione primogenituræ, quæ est prærogativa, jus & qualitas, quæ primogenito præ cæteris competit. Alberic. in l. pen. C. de donat. inter V. & V. quam definitionem respicere, ajunt, ad illum, qui verè filius Regis sit, nempe qui post adeptam regiam dignitatem natus: natum enim antè adeptum regnum, filium Regis non esse. Cujac. ad l. 36. C. de decur. & Johann. de Platea indubitanter tradit, non dici filium Principis qui antequam Pater principatum adsequeretur, natus est: sicuti nec filius Scenicæ est, qui postquam mater Scenica esse desiit, nascitur. l. Imperialis. 23. §. his illud 5. C. de Nupt. ideoque etiam neque primogenituram, neque jus vel prærogativam illam, quam primogeniti præ cæteris habent, illi verè competere, & consequenter illum neque ad regni pervenire posse successionem. Afferunt secundò pro stabilicndâ suâ sententiâ. l. Senator 11. C. de Dignitatib. cujus verba paucissima adjicere placuit: *Senator vel alius Clarissimus privatos*

II.

patos habeat filios, editos quippe antequam Senatoriam suscipere dignitatem. Ex quibus colligendum ajunt, filium antè Senatoriam dignitatem natum necquicquam de dignitate post acquisitâ participare: allegant etiam *l. si quis decurio. 55. C. de decurionib. l. doctitii. 63. §. 1. l. diva memoria 65. ferè in fin. l. Curialibus 66. C. eod.* quæ modò adductæ II. natum antè Decurionatum à privilegiis Decurionatus planè excludunt, & tantum post genitum illorum participem faciunt, ex quibus ita argumentantur: Si natus antè Decurionatum nihil participet de privilegiis Decurionatus Patris post acquisiti, sequitur quod nec ille, qui antè regiam dignitatem natus est, Patri in regno succedere, prærogativâve quâdam vel jure primogenituræ gaudere possit; nam liberi, juxta *l. si manumissus. 2. C. de libert. & eorum liber.* conditionem illam, in quâ Pater tempore nativitatis eorum erat sequuntur: afferunt alia insuper quam plurima, contra natum antè regnum pugnantia, quæ si enarrare omnia vellemus, charta vix sufficeret. Nobis *affirmativa*, (salvo quidem meliori cujusque judicio) quam etiam II. sequentes comprobare videntur, placet, quæ est, quod primogenitus illi, qui in regno natus, in successione regni præferri debeat. In cujus confirmationem nos *l. senatoris. 5. in fin. ff. de Senator.* allegamus, in quâ expressè dicitur, quòd non tantum Senatoris filius is sit, quem Pater in Senatoriâ dignitate constitutus susceperit, sed etiam qui antè dignitatem natus sit Senatoriam. Cum quâ consentit *l. qui ad tempus. 2. §. in filiis ff. de Decurion.* quæ non tantum eum qui ex Decurione, sed etiam eum qui antequam Pater Decurio fieret, natus est, filium Decurionis esse dicit. Si ergò filius antè Decurionatum vel dignitatem Senatoriam natus, æquè participet de dignitate Patris sui, quàm filius post nactam Senatoriam dignitatem susceptus. *l. advocatos. 2. C. de advoc. diversor. judic.* nihil eidem obstabit, quòd minus & is, qui Patre nondum in Regio honore constituto natus est, non tantum Regis filius sit; verum etiam prærogativâ illâ, & jure Primogenituræ, quo Primogeniti aliàs gaudent, gaudeat; nam vi hujus legis æquè natus antè adeptam Regiam dignitatem, quàm postea susceptus, filius Regis est, dignitatem quoque, ut Regis filius habet, quis

autem Regis filio, & quidem primogenito prærogativam, & jus primogenituræ abnegabit, & in Regiâ dignitate susceptum transferet? nam licet ille extrâ regnum natus sit, attamen hoc ei nihil præjudicat, sed multò magis post acquisita illa regia Patris dignitas ei prodest, cum per hanc non tantum Regis filius, & quidem primogenitus fiat, sed etiam dignitatem, quæ Regis filio debetur, & prærogativam, & jus primogenituræ sibi acquirat, quod nullus fratrum suorum ei auferre poterit. Confirmare etiam hanc nostram sententiam videtur Moyfes *Exod. 13. & 34.* Item *Num. 8. & 18. c.* ubi primogenitum ita definit: Quod nempe is sit, qui primùm ex vulvâ egressus est. Si ergò Primogenitus is est, qui primùm ex vulvâ egressus est, sequitur, quod antè nactam regiam dignitatem natus, non tantum primogenitus sit, sed & ut Primogenitus in Regno succedat, & consequenter nato post regiam dignitatem præferendus sit in successione. Contradicere haud etiam videtur superius allata *l. II. C. de dignit. ubi in fin.* ferè hæc leguntur verba: *Paternos honores filiis invidere non oportere:* quod non ad illum in regiâ dignitate natum, quia is non tantum de æquitate, sed de omni jure Patris particeps existit dignitatis: sed ad procreatum, de patre nondum Rege restringendum potius puto. Comprobant etiam sententiam nostram exempla, nempe Belæ Regis Secundi Hungariæ, qui extrâ Imperium adhuc Geissam filium procreavit. Post adeptam verò regiam dignitatem Ladislaum, Stephanum & Almam, Regi mortuo successit in Regno Geissa procreatus antè fortunam regiam. Mich. Ricc. *de Reg. Hungar.* Bajazetes etiam & Gemes inter sese de Turcico Regno certarunt, natu major Bajazetes, at Gemes natus Imperanti, Bajazetes prævaluit. Marian. *lib. XXIV.* Et denique qualis esset absurditas, imò qualis iniquitas, si Patri defuncto relictis nullis aliis superstilibus, in regiâ fortunâ natis, non succederet filius antè regiam fortunam natus. Possent adhuc plura recenseri, quæ brevitatis causa jam omit-

QUÆ-

QVÆSTIO III.

*An septem Testes necessariò requirantur
in Testamento?*

Solennia in Testamento condendo probè attendenda, imò ad-
Sed necessaria esse, ut etiam non adhibitis illis testamentum
nullatenus subsistere queat, constat ex *l. si unus. 12. & l. hac
consultissima. 21. §. non subscriptum C. de Testament.* nam in Te-
stamento solennia omninò intercedere debent. §. *sed hæc quidem,
ult. Instit. de Test. ordinand.* nisi vires suas amittere, imperfectum-
que & inefficax esse velit. Inter solennia autem, ut principa-
liora tantùm requisita afferam, habentur. (1.) Testes non pro-
hibiti; sed habiles, numero septem, & quidem specialiter hunc
ad actum rogati. *l. heredes palam. 21. §. 2. ff. qui Testament. fac.
poss. Constit. Maximil. 1. de Anno 1512. Colonia edita,* quæ alterius
causâ rogatos testes idoneos haud esse testes statuit. (2.) Ut
actus hic Testamenti fiat uno eodemq; tempore & contextu; nul-
lo alio interveniente extraneo actu vel contractu. *d. l. 21. §. uno
contextu. ult. dict. tit. §. sed cum 3. Instit. de Testam. ordinand.*
Excell. Dn. D. Struv. *Exerc. 32. th. 10. in fin.* nisi necessitas, &
quidem summa testatorem vel ipsum, vel testium quendam ab
hoc testandi avocet actu. *l. cum antiquitas 28. C. de Testament.*
(3.) Ut testes nomina sua propriâ subscribant manu, nisi eo in
loco tot literati non reperiantur, tunc enim eis licitum est, pro
ignorantibus literas, præsentibus tamen, subscriptionem suam
interponere, ut loquitur. *l. & ab antiquis ult. C. de Testam. §. 3.
Instit. d. t.* (4.) Ut (si in scriptis Testamentum ordinan-
dum) testes subignent, §. *possunt, autem §. h. t. l. ad testi-
um 22. §. si quis 4. ff. qui Testament. fac. poss.* (5.) Ut testa-
tor vel ipse subscribat. *l. cum antiquitas 28. §. cum autem. ult.
C. de Testam.* vel testem octavum adhibeat, si artem scribendi
nesciat. *d. l. 21. C. h. t.* Cum ergò, ut supra monuimus, septem
ad ordinandum Testamentum requirantur testes, & nemo DD. in
hoc dissentiat, non immeritò quæritur? *An numerus septena-
rius testium sit de substantiâ testamenti, ita ut eo cessante, cesset &
ipsum testamentum?* nos præsuppositâ distinctione, inter perfe-

Etum & imperfectum testamentum, dicimus, quòd in Testamen-
 to perfecto, in scriptis, vel per nuncupationem id factum sit, ha-
 ctenus nihil interest, omninò septem testes necessarii sint, adeò
 ut paucioribus adhibitis Testamentum consistere non possit, per
d. l. si unus. 12. C. de Testam. ubi dicitur, quòd septem, & non
 pauciores testamento ordinando interesse debeant testes: & si
 unus tantum de septem testibus defuerit, jure deficiat Testamen-
 tum. *l. hanc consultissima 21. in pr. rogatis testibus septem numero,*
 & §. *per nuncupationem 2.* sine scripturâ testamentum aliàs va-
 lere non posse, quàm si septem testes simul, uno eodemque tem-
 pore, colligantur, & testamentum septem testibus adhibitis or-
 dinatum perfectissimum firmumque esse constitutum dicit §. *sed*
cum paulatim 3. Instit. de Testament. ordin. & § sed haec quidem
ult. h. t. l. Si Testamentum 23. ff. qui test. fac. poss. Testamentum
 septem testium signis signatum non erit imperfectum; requirun-
 tur ergò in testamento, nisi imperfectum, & inefficax quis esse
 velit, septem testes; nam dicit Joh. Schneidevv. *in §. ult. n. 3. In-*
stit. de Testament. ordinand. coram septem testibus idoneis testa-
 mentum fieri debere. Quò & faciunt Recessus Imperii Colon.
 de Anno 1512. tit. Von Testamenten. §. Aber die Form eines Te-
 staments. verl. Vnd was er im Testament begriffen haben wolte/
 von 7. Zeugen/ die darzu beruffen vnd gebetten sein solten/rc. Eun-
 dem etiam desiderare numerum Constit. Saxon. dicit Carpzov. *in*
Jurispr. Forensi Rom. Saxon part. 3 const. 3. def. 1. atq; ita à ICris Lipsi-
ensibus responsum: Hat ewer Sohn durch den Pfarrherrn seinen
 letzten Willen schreiben lassen/ vnd hernach für 7. Zeugen sich er-
 klärt/ daß das sein letzter Will sey/rc. So ist solches Testament sei-
 ner solennitäten halber / zu recht / fräfftig vnd beständig. Solen-
 nitas ergò Testamenti in numero testium versatur. *Don. lib. 7.*
com. cap. 19. quibus si aliquid deest, ut antea audivimus, inju-
 stum pronuntiatur, *l. Testamentum 1. ff. de injust. rupt. irrit. fact.*
test. Necessariò igitur sequitur, illum esse de substantiâ testamen-
 ti: nam ut loquitur Treutl. *vol. 2. disp. 10. th. 5. l. A.* numerus te-
 stium septenarius non solum ad probationem; sed etiam ad
 ipsam testamenti facit essentiam, ita, ut quamvis ultima volun-
 tas coram 6. vel 5. exposita sit testibus, hæc tamen ut testamen-
 tum

15.

tum subsistere nequeat. Quam sententiam etiam defendere conatur Vinn. in *Comm. Instit. tit. de Test. ordin. vers. 3. §. 2.* cuius verba hæc sunt: *illud notandum est, numerum istum septem testium requiri ad solennitatem ordinationis testamenti, sive cum de substantialibus, ut loquuntur, testamenti questio est.* Testator ergo, cum in legibus modò allegatis disertè numerus septem testium requiratur, nemo autem facere possit ne leges in suo Testamento locum habeant. *l. nemo potest. 55. ff. de Leg. 1.* necessariò hoc jus testandi observare tenetur, & consequenter, cum numerus septem testium præcisè requiratur, de substantiâ testamenti extrâ omne dubium erit. Conf. Magnif. & Nobiliss. Dn. Præsid. 2. *select. 4.* ubi plenius hoc demonstrat. De numero autem testium septenario, cur nempe ille fuerit electus ad solennitatem testamentorum, multi multa asserunt, uti videre est apud laudat. Dn. Præsid. *d. 1.* Nos missis aliorum assertionibus, dicimus cum Imperatore in *l. questionem. fin. in med. C. de fideicom.* ne quid falsitatis incurrat si per duos fortè testes ordinaretur testamentum, legem majorem numerum testium postulasse, ut per ampliores homines perfectissima veritas revelaretur. Quamvis propterea consuetudines & statuta illa non irrationabilia pronunciemus, quæ non eisdem cum Jure Civili observant solennitates: qualia Statuta Noribergæ, Viennæ, Venetiis, Lucæ, Tholosæ, &c. vigere, refert Virg. Pingiz. q. 20. *num. 42. seqq.* attendendus verò is testandi modus in testamento condendo, qui requiritur eo in loco ubi testamentum conficitur. Struv. *Exerc. 32. lib. 28. tit. 1. qui test. fac. poss. n. 15.* verb. gr. si Statutum vel consuetudo alicubi est, ut testamentum coram Notario, & duobus testibus factum valeat, id omninò valet, ut refert And. Geil. 2. *observ. pract. 123.* Quamvis prudentiores suadeant, ut ad devitandas cavilatorias disputationes adhibeantur 7. testes. Vultej. in *Comment. Inst. de Testam. ordin.* Ab hæc tamen regulâ, quòd in testamento septenarius testium numerus sit necessarius, excipiuntur nonnulli casus, in quibus solennis ille testium numerus non æquè rigidè exigitur, sed vel in totum remissus est, ut in Testamento facto coram Principe, vel mediantibus precibus Principi oblato. *l. omnium. 19. C. h. t.* potest enim Princeps, quam

quam vult testandi formam præscribere. *d. l. quia jus testandi est ex legibus. l. verbis legis 120. l. lege obvenire 130. ff. de V. S. Princeps verò supra leges. l. Princeps. 31. ff. de ll. sic quoque testamentum coram Judice sive apud acta factum absque peculiaribus testibus convocatis, etiam subsistit. Hartm. Pistor. q. 28. num. 4. quod luculenter probare videtur l. omnium. 19. §. sicut ergò securus erit, qui actus cujuscunque judicis mentis sua postremum publicavit judicium. C. & in l. sancimus 27. verb. & hoc vel per testes idoneos non minus tribus, vel inter acta manifestaverit. C. de Testament. & l. in donationibus 31. C. de donat. ubi expressè dicitur, quòd in donationibus, quæ actis insinuantur, non necessarium sit vicinos vel alios testes adhibere, additâ hac ratione, *superfluum est privatum testimonium, ubi publica monumenta sufficiunt.* Judicialis ergò authoritas sola defectum testium supplet, & pro formâ testamenti requiritur. Carpz. *Jurispr. Forens. part. 3. Const. 3. defn. 15.* & hæc etiam sententia in foro communi Saxonico usû recepta est. *Constit. 3. in pr. verb. Daß solch Testament zu recht beständig / ob gleich keine andere Zeugen darinnen benannt oder darzu gebetten worden.* Vel pro parte: ut in Testamento condito inter liberos, in quo non solum Patri, sed & Matri coram duobus testibus testari. *arg. l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto. C. de Testament. imò & voluntatem suam nuncupare licet. Gail. lib. 2. observ. 112. num. 4.* Nam inverecundum esset voluntati Patris, quocunque etiam modo probatæ contravenire. Carpz. *d. l. def. 15.* Item, factò à rustico, id est, eo, qui ruri extrâ urbem, ubi septenarius testium numerus haberi nequit, testamentum facit, *l. & ab antiquis. ult. C. h. t.* ubi à diversis retrò principibus (ut sonant verba) & ab antiquis legibus rusticitati semper consultum, & in multis legum subtilitatibus observatio stricta eis est remissa, ut ob simplicitatem eorum & literarum imperitiam, testiumque inopiam, testes etiam quinque in Testamento ruri factò sufficiant. *per. h. l. quod & confirmat Maxim. I. Imp. in Recept. Colon. de anno 1512. tit. Von Testamenten. §. Vnd sollen die Notarien. vers. Item. Vnd auff dem Gau / wo Baursteint Testament machen / vnd mehr Zeugen nicht zub. kommen weren auffß wenigste 5. Zeugen.* Nec non tempore Peltis*

17.

Pestis condito: nam quamvis Jure Civili de legitimo testium numero non facile quid remittatur. *l. casus majoris 8. C. de Testam.* attamen hodiernis moribus, sicuti in Testamento ruri facto, ob testium penuriam, septenarius numerus testium in Testamento tempore pestis facto remissus est, ita ut duo vel tres tantum testes fide digni sufficiant, *Carpzov. part. 3. constit. 4. defin. 1. num. 11.* imò & fœminæ in ejusmodi testamento testes admittantur. *Berlich. part. 3. concl. 5. num. 24.* Excell. *D. Struv. Exerc. 32. th. 21.* Requiritur autem ut testator vel ipsemet peste correptus decumbat, vel ejus domus pestiferâ hâc lue infecta sit. *Carpz. d. l. defin. 4. num. 1.* quod & in Camerâ obtinuisse testatur *Gail. lib. 2. observ. c. 118. num. 18.* Confer. *Magnif. & Nobiliss. Dn. D. Præses decad. 4. paralipom. Mejeran. 10.* ubi hâc de controversiâ fufius. Item in Testamento ad pias causas facto; nam legatum vel testamentum ad pias causas factum in præsentia duorum testium jure subsistit, ex Constitut. Pontificis Alexandri III. *in cap. relatum 11. extra de Testam. Jul. Clar. lib. 3. sentent. §. testamentum q. 6. num. 2. & ibi Harprecht.* Sed duo ad minimum requiruntur testes, nam legatum absque testibus licet scriptura testatoris intercesserit, subsistere neutiquam potest, uti sentiunt *Besold. p. 3. conf. 94. num. 13.* *Reufner. de Testam. part. 4. cap. 12. num. 12.* & denique facto à milite, *tot. tit. ff. & C. & Instit. de milit. Testam.* quibus autem hoc privilegium competat, in sequentibus videbimus.

QUÆSTIO IV.

An Privilegium Testamenti militaris omnibus indistinctè competat militibus, & an hodierni etiam milites hoc privilegio gaudeant?

QUàm magnis, imò & quàm gravibus periculorum casibus vitæ militis exposita sit, neminem ignorare arbitror. Quodvis enim ferè momentum in prælio & conflictu constituto

C

tuto

tuto militi presentem minatur interitum. Hinc, cum Rempu-
 blicam, parentes, liberosque suos, vel Patriam salvare conantur.
l. advocat. 14. C. de advocat. divers. judicior. sapius vitam per-
 dant. *l. bello 18. ff. de excus. tut.* idè ob vitam sic optimè reddi-
 tam, nomen ipsorum immortalè; nam per gloriam in perpetuum
 vivere intelliguntur. *pr. Instit. de excus. tut. vel curat.*
 Tanta ob pericula, quibus expositi sunt, quædam jure concessa
 sunt militibus privilegia, quæ inter non minimum est privile-
 gium in testamenti factione datum, per quod etiam filiifam.
 facultatem testandi, & quidem absque ullis solennitatibus ha-
 bent, uti videre est, *tot. tit. Instit. ff. & C. de milit. testam.* Sed
an privilegium hoc militaris testamenti omnibus indistinctè mili-
tibus, item hodiernis competat, etiam stationariis, So in Stät-
ten vnd Schloffern auff die wacht gestellet vnd geführet werden?
& Limitaneis; Die in Gränghäusern vnd Anstößen liegen?
 non immeritò quaritur? Sunt qui affirmativam tenent, &
 quidem (ut brevibus tantum attingam quædam, quibus de-
 fendere sententiam suam conantur) his moti rationibus, quia
1. l. ex eo 42. ff. de Testam. milit. omnibus & singulis in nume-
 rum militum relatis, privilegium testamenti militaris conce-
 dat, ex quo sic argumentantur: Qui in numerum militum re-
 lati sunt, jure militari testari possunt. per *d. l. A. Stationarii,*
Limitanei, & alii in numerum militum relati sunt, E. & illis be-
neficio hoc militaris testamenti minimè erit denegandum.
 Cui accedit. *l. jure militari 4. ff. h. t.* quæ æquè militibus in
 numeris manentibus jure militari testari permittit. Probare 2.
 conantur sententiam suam ex *l. rescripta 44. ff. h. t.* quæ omnibus
 omninò qui ejus sunt gradus, ut jure militari testari non pos-
 sint, si in hostico deprehendantur, & illic decedant, quomo-
 do velint, & quomodo possint testari permittit, si autem
 omnes & singuli, qui in hostico deprehenduntur, & illic dece-
 dunt, vi hujus legis jure militari testari possunt, cur ergò mili-
 tibus Limitaneis & Stationariis, qui propter subita pericula in
 expeditione constituti dicuntur, hoc non permetteretur. Sed
 hæc argumenta, quia Juris Veteris sunt, quod in *l. pen. C. de*
Testam. milit. penitus abolitum est, meritò nos mittimus, &
 contra

contra negativam amplectimur, dicentes, quod nullis nisi in expeditione constitutis militibus hoc privilegium testamenti militaris competat, sive velint in scriptis, sive sine scripto ultimam suam voluntatem declarare; quam nostram sententiam probat §. 1. *Instit. h. t.* qui militem quamvis neque legitimum numerum testium adhibuerit, neque alias testamenti solennitates observaverit, nihilominus rectè testari, dicit, si nempe in expeditione, (id est, in armis procedat, aut si adversus hostem, sive eum persequatur, sive eum imminetent expectet, intentus ad opportunitatem rei gerendæ, vel ut invadat, vel ut invadentem sustineat ac propulset, ut defin. *Vinn. in Comm. 5. h. t.*) sit constitutus. Quod etiam confirmat *l. milites 15. C. h. t.* ita inquiring. *Milites in expeditione degentes quomodo possint ac velint testentur,* & paulò post: si quid in vaginâ, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo ipso tempore, quo in Prælio vitæ sortem derelinquunt &c. & *l. ne quidam 17. C. h. t.* eadem ferè profert verba: *Sancimus memoratum indulgeri circa ultimas voluntates conficiendas beneficium, his solis, qui in expeditionibus occupati sunt,* & §. 3. *Instit. h. t. ijs tantum militibus privilegium hoc concedit, qui militant, & in castris degunt.* & *Vinn. in Com. h. t.* hoc privilegium illis solis tributum esse dicit, qui sub armatâ militiâ stipendia mereant, neque simpliciter, sed tunc cum expeditionum laboribus occupentur. Quod faciunt & *Recess. Imp. Colon. de Anno 1512. tit. Von Testamenten.* §. Und sollen die Notarien. vers. Aber die jenigen Ritter so nicht in solcher Übung vnd Streitt / noch auch zu Feld liegen / sollen ihr Testament nach gemeinen Rechten machen. Qui-cunque ergò milites in expeditione occupati non sunt, illi privilegio hoc non gaudent, per II. modò allatas, atqui Limitanei & Stationarii, item in hibernis locis constituti milites in expeditione occupati non sunt, quod patet ex ipsa definitione expeditionis quam *Donell. lib. 6. comm. c. ult. circa finem prope,* habet, cum nempe milites ita comparati sunt, ut sint expediti ad præliandum, quod fit, inquit, cum proficiscuntur adversus hostem. Cum igitur expeditionis significatio genuina Limitaneis,

stanteis, Stationariis, & in hybernis locis constitutis militibus non competat, consequens est, illos in expeditione occupatos non esse, ideoque privilegio etiam testamenti militaris gaudere non posse: quamvis Cujacius ex facto consultus respondeat, *consult.* 49. milites etiam in hybernis & praesidiis locatos, ibidem Jure privilegii sui testari posse, quod mihi verum neutiquam videtur; nam qui sunt in hybernis, aut praesidiis, neutiquam dici possunt esse in expeditione aut castris, quod tamen expressè requiritur in dd. ll. cessante autem causâ privilegii & ipsum cessat privilegium. Sed *an militibus nostrorum temporum testandi jure militari privilegium etiam competat?* quaestionis est. Nonnullis negativa placet, & quidem sequentem ob rationem, quia vetus ratio legendi & militem assumendi in desuetudinem abierit, igitur & hoc privilegium non amplius valere ajunt. Sed nos missis his affirmativam tenentes ita argumentamur: Durante adhuc causâ privilegii, & quidem principali, durat & ipsum privilegium, Atqui causa privilegii, quæ est, juxta Ulp. *l. un. de bon. poss. ex test. milit. laborum & periculorum functio*, cum in expeditione sunt, inter milites adhuc hodierno tempore durat: Ergo & ipsum privilegium, & consequenter milites nostri eodem privilegio gaudent, si in acie eisdem vitæ periculis expositi sunt, aliàs enim, si in praesidiis excubent, cessante periculo ipsum quoque jus cessat, & jure communi eos testari oportet, uti sentiunt Harprecht. *in pr. n. 5. & seqq. Instit. de milit. testam.* Wesenb. *part. 1. conf. 17. n. 32.* Bocer. *de bell. & Duell. lib. 1. c. 28. n. 8.* Joh. Sichard. *in rubr. C. de Testam. milit. num. 9.* Gail. *lib. 2. obferv. 118.* Perez. *C. de Testam. milit. & alii.*

QUÆSTIO V.

An Spurij sint infames.

Romanum apud populum vocabulum Spuriorum verum fuisse nomen, constat ex Cicerone, apud quem plurima hujus rei exempla extant. *In Orat. pro Milon.* occidi, occidi non

non Spurium Melium, qui annona levanda jacturisque rei familiaris &c. & in lib. 2. de Orat. Sp. Canulejus ex vulnere ob Rempubl. accepto Claudus; & in Bruto: Sp. Albinus lege Manilia à Gracchanis judicibus damnatus, & rursus: Sp. Torius agrum publicum vitiosâ & inutili lege levavit. Et in Cat. Sp. Posthumius T. Vetrivius Cofs. Claudino prælio à Samnitibus superati sunt, & alii quam plurimi quam plurima Romanarum rerum scriptores hoc de nomine primo scripserunt. Hinc Plutarch. in probl. de vocab. hoc spuriorum ita inquit: Spurius primum nomen est apud Romanos, ut Sextus & Decius, & Cælius. Lapsu autem temporis vocabulum hoc Spuriorum ignominiosum esse cœpit, quo notari solebant ii, qui ex justis procreati non erant nuptiis, de quibus hic quæritur: *An infamiâ quâdam laborent, nec ne?* Spurios cum DD. communiter defendunt Gabriel Palæot. *tr. de noth. Spuriusque cap. 55. & seqq.* D. Tulden. *hic cap. 3.* quia ajunt, Spurii neque jure infames sunt, nam proprio facto in illam non inciderunt. *l. cognitionum ff. de var. & extraord. cognit.* neque ipsi quicquam admiserunt quod existimationem eorum apud bonos & honestos viros lædat: crimen autem paternum, juxta *l. crimen 26. ff. de pœn.* nullam maculam filio infligere posse, quod ex suo admisso sorti unusquisque subjiciatur, nec alieni criminis successor constituatur, & nativitatem quæ vitio aut culpæ verti nemini potest, pœnæ esse non debere: undecunque homines nascuntur, si Parentum vitia non sectentur honestos esse. *c. undecunque. distind. 56.* Sed hoc non sequitur: Spurii nihil admiserunt. E. non laborant infamiâ facti, nam utut hæc quæ dicta vera sint, negari tamen non potest, quin nota aliqua & macula illis inhæreat, non quidem ex facto, ut scribit Vinn. sic nascentium, seu pœnâ injustâ; sed ex vitio ac defectu natalium contracta: unde eos opprobria per omnem vitam comitantur, quæ nullo elui possunt modo, & scribit Plutarch. *lib. de educ. liber.* vixque est, ut defendi possit, eum qui ex Vulgivagâ Venere natus est, qui nec gentem, nec familiam, nec Patrem habet, pro integrâ & legali personâ, ut loquuntur, habendum esse, de quâ re vide Doctissimum Arniseum *lib. 2. de Republ. c. 2. sect. 13.*

Afferunt 2. pro stabiliendâ suâ sententiâ *l. legem. 2. C. de natural. lib.* quæ alieno vitio laborantes misericordiâ indignos non pronunciat: quòd autem alieno, & non proprio laborent vitio demonstrat. *c. nasci. 5. dist. 56.* quòd expressè dicit: *ex fornicatione nasci non esse culpam nascentis sed generantis*, proinde ubi nulla culpa est, ibi nullam quoque pœnam, nullamque infamiam esse debere, dicunt. *l. aliud 131. ff. de V. S.* hinc Arumæus. *Exerc. 11. ad Instit. num 9.* ita concludit: cum in Jure universo non sit lex, quæ Spuriis infamiam imponat (nam in Jure hinc inde liberantur à timore infamiæ, ut in *l. nullam. l. interlocutio. 19. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. honori. 2. ff. de obseq. Par. & Patr. l. nec timorem 7. ff. quòd met. caus.* in quibus omnibus disertè scriptum est, infamiam illis non irrogari) nostrum non est infamiæ pœnam eis assignare. Hartm. Pistor. *l. 1. q. 30. num. 26.* Bocer. *in Comm. ad l. un. C. de famos. libell.* Sed necquicquam facit, quòd Spurii non pronuntientur infames à Jure, dicit Heigius, cum satis sit hoc fieri more, & opinione hominum, & quidem non leviorum, sed honestorum & graviorum. Possent adhuc in medium proferri plurima argumenta, quæ pro Spuriorum salute pugnarent, sed mitto illa, meque ad affirmativam verto, quæ est, quòd Spurii infamiâ notari debeant. Antequam autem ad hujus explanationem venio, prius examinabo, quid & quotuplex infamia sit, quibus perspectis hujus statim se manifestabit rei veritas. Est ergò definitio infamiæ talis: Infamia est boni nominis sive existimationis læsio vel imminutio, juxta. *l. cognitionum. de var. & extraord. cognit.* Quæ distinguitur in Juris & Facti infamiam. Infamia juris est, quam lex vel sententia ex turpi causâ nocenti irrogat. Wesenb. *in rapar. de hi qui notant. infam.* Infamia Facti est, quæ apud bonos & graves viros alicujus famam & existimationem lædit. *l. ea. C. ex quib. caus. infam. irrog.* seu ut definit *l. 2. ff. de obseq. parent. & Patr. prest.* quæ ex ipsâ rei indignitate, secundum censuram honorum virorum est, & hanc Giphani, popularem appellat. Cum ergò is, qui apud bonos & graves viros malè audit, infamis dicatur, quæso quid obstat, quò minus & Spurius infamis dicatur, nam licet ille

ille proprio facto in illam non inciderit, & consequenter infamia Juris non laboret, nam nihil admisit. *l. Spuri ff. de decur. alieno enim laborat vitio. l. legem C. de natural. liber.* attamen existimatio illius ob defectum natalium apud bonos & honestos viros læditur. *l. ob hac verba ff. de his, qui notant, infam.* laborat ergò infamiâ facti, quia ipsâ hominum opinione non effugit maculam ignominia. *l. honori. ff. de obseq. parent.* hinc fit, ut omnes ferè DD. Spurios pro infamibus habeant. Sunt quidem nonnulli, qui Spurios infamiâ facti laborare non concedunt, de quo quondam valdè fuit disceptatum, ut videre est apud Hartm. Pistor. *p. 1. q. 30. n. 5.* & Jacob. Thoming. *q. 48.* ab invicem dissentientes. Sed illi ex communi sententiâ, quæ etiam in Camerâ Imperiali est recepta, teste Mynsing. *centur. 4. obs. 31.* ubi naturales sive Spurios, omnis infamiæ, vel saltem ejus, quæ facti dicitur, expertes haud esse dicitur, optimè possunt refelli: & quomodo poterit is infamiæ expertes esse, qui legitimationem desiderat, nam nisi infamis esset, legitimatione opus non haberet. Et licet concedamus Spurios infamiâ juris non laborare; attamen illis adhærere aliquam maculam & notam optimè defendi posse existimaverim, sive de Jure Divino, sive Canonico, sive de legibus & moribus aliarum gentium quaratur, secundum quos cum tantum probentur conjunctiones legitima, fieri non potest, quin ex improbato concubitu nata soboles aliquâ labe aspersa videatur. Et hanc etiam ob causam non admittuntur Spurii ad Assessoratus dignitatem in Camerâ Imperiali, quia Ordin. Cam. Imper. Anno Christi 1555. August. promulgata *n. 3. §. Desigleichen.* in Assessoribus exigat, quòd ex justo matrimonio nati esse debeant. Et scribit Magenhorst. *p. 1. tit. 3. §. 2. Ord. Cam.* cuidam legitimè quidem nato, sed quod Patrem haberet illegitimè procreatum, dignitatem Assessoris in Camerâ fuisse denegatam. Si igitur his tantum qui ex justo nati sunt matrimonio, portæ dignitatum patent, non potest non esse, quin Spurii tanquam infames. Bald. *in l. 4. in pr. ff. de liber. & post.* hoc ab officio removeantur, nam infamibus portæ dignitatum sunt præclusæ *l. 2. C. de dignitat.* Neque Consiliarios Principis fieri posse Spurios, testatur

statut Bald. in l. cum legitima ff. de stat. h. nec ad honores Doctores admittuntur: nam & Doctoratus est dignitas c. quando. extra de Magistrat. dignitatis autem portæ non patent illis quos scelus aut vitæ turpitudine, aut infamia ab honestorum segregat cœtu. & idè in plerisque ferè Academiis consuetudine receptum est, ne summi honores Spuriis conferantur Walth. de Doct. cap. 6 pag. 59. etiamsi legitimi sint, nam legitimum similem esse homini à percussis vulneribus sanato, in quo semper solent remanere cicatrices, dicit Bald. ad. c. fin. num. 1. ext. de transl. Episc. hinc fortassis Veneti nullum illegitimè natum in suum Consilium admittunt, quomocunque licet jura legitimationis nactus sit. Tiraq. de Nobilit. c. 15. num. 18. pag. 57. Maculà ergò Spulm laborant, non ex facto suo, sed propter illegitimos natales, & quia ex propudioso sanguine fuere procreati, Anton. Fab. in Cod. lib. 9. tit. 48. definit. 20. num. 3. Largior tamen hoc Thoming. si tanta Spurii virtus sit, ut vitæ honestate, & meritis maculam illam facile eluat, & ab omnibus bonis ac honestis recipiatur, hanc solam ei notam nocere non posse.

QUÆSTIO VI.

An sumptus Studiorum causâ, vel Doctoratus, vel etiam peregrinationis à Parentibus erogatos filius in divisione hereditatis conferre debeat?

Cum illi sumptus, quos Parentum pietas filiis in Academiis degentibus, ad Studiorum suorum benè cœptorum continuationem, finisque felicissimi & exoptatissimi consequutionem suppeditavit aut etiamnum suppeditat, magnam plerumque inter fratres sororesque dissensionem, discordiam, magnas denique rixas & lites excitent, in tantum, ut Doctorum etiam

etiam responsa hâc super causâ postulata, illorumque consilio & auxilio opus fuerit, igitur nos singulari quadam motivatione, quæstionem hanc sequentem; *An nempe filius pecuniam à Patre Studiorum, vel peregrinationis, vel Doctoratus causâ transmissam conferre teneatur?* brevissimis pro ingenii viribus pertractare constitui: sed quia in hâc quæstione non desunt, qui expensas illas, quas Pater ipsi filio studiis operam danti causa Studiorum subministravit, omninò conferendas esse, statuunt, igitur antequam ad negativam hujus venio, argumenta quædam, quibus defendere sententiam suam conantur, prius proferam. Et dicunt quidem i. quod Parentibus liberis in potestate constitutis donare non liceat, per *l. donationes 25. C. de donat. inter. Vir. & Vxor.* idcirco non videri Patrem filio donasse sumptus, Studiorum causâ factos, sed potius præsumi, voluntatem Patris esse, ut filius aliquandò illos iterum in hæreditatem inferat. Quibus nos respondemus, verum quidem esse, quòd donatio inter Patrem & filium facta non valeat, sed additâ limitatione, nisi silentio & morte Patris confirmetur, ut in hâc contigit donatione, ut annotat *Gothofr. ibid.* Alterum eorum argumentum est, quod exinde sequeretur, filium, qui sumptus in prohibitos vel malos usus convertit, melioris esse conditionis, quàm reliqui liberi, qui domi frugaliter vixerunt, & ita inæqualitas inter liberos induceretur. Quibus nos regerimus æqualitatem liberorum neutiquam per hoc tolli, si enim perpendimus, quòd Pater filium, ut reliquos domi latitantes liberos, Jure alere teneatur, per *l. necare. 4. ff. de agnos. & alend. liber.* cui tamen alimentacione nihil reddunt, minus conferunt ea, quæ Pater, pro alimentis eorum exsolvit, iniquum certè & injustum esset, si filius expensas, quas Pater ad sustentationem vitæ ipsi transmisit, conferre cogereetur. Æqualitas ergò liberorum per hoc non tollitur, sed potius servatur. Habent ad sententiæ suæ confirmationem adhuc alia argumenta, quæ proferre jam non placet. Progredimur ergò ad alteram opinionem, quam & nos fovemus, quæ expensas à Patre studiorum causâ factas filio conferendas esse negat, & quidem seqq.

D

ex ra-

ex rationibus: quia per *l. necare. 4. superius alleg. ff. de agnos. & alend. lib.* Parentes liberos alere, iisque victum & amictum suppeditare tenentur, Ergò filiis etiam sumptus studiorum causâ transmittere debent, nam unum idemq; est, sive alimenta illi suppeditent domi, sive aliis in locis, & alimentorum, & studiorum sumptus æquiparari, ac proinde, quia alimenta non conferuntur, ideoque nec sumptus studiorum causâ facti, conferri debeant in hæreditate Paternâ. Facit etiam ad sententiam nostram. *l. ea demum 6. C. de Collat.* quæ dicit, quòd Frater his, qui remanserunt in potestate, ea demum conferre debeat, quæ in bonis eorum fuerunt eo tempore, quo Pater fati munus implevit: at filius non percipit illos sumptus tempore mortis, igitur nec conferre illos tenetur. Pugnare etiam videtur pro hæc nostrâ sententiâ *l. que Pater 50. ff. famil. ercisc.* quæ expressè dicit, quòd ea, quæ Pater pietate debitâ ductus filio studiorum causâ subministravit, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patiatur. Ad confirmationem hujus sententiæ etiam facit, quòd miles armatus donationem à Patre propter militiam factam, revocare non possit, & quòd nec filius post mortem Patris in divisione hæreditatis Paternæ cum Fratribus faciendâ eam teneatur conferre. *l. 1. §. nec castrense ff. de collat. bonor.* sicuti etiam est dispositum de Jure Saxon. Landrecht. lib. 1. art. 10. ubi dicitur. *Gibt ein Vatter seinem Sohn Kleider/Rohf/Harnisch/ zu der zeit/ als ers bedarff vnd nutzen mag/ vnd es der Vatter auch geben mag/ stirbt der Vatter hernach / er darffs nicht theilen mit den Brüdern.* Si ergò mortuo Patre miles armatus tales res cum aliis suis fratribus conferre non tenetur, nec miles togatus sumptus studiorum causâ sibi factos conferre tenebitur, quia uterque horum militat, juxta *l. advocati 14. C. de advocat. divers. judicior.* Sumptus ergò quos Pater fecit pro filio studente, tempore divisionis in portionem ex bonis paternis filio debitam non computantur, nec conferuntur. *l. que Pater. 50. ff. famil. ercisc.* Hartm. Pistor. p. 1. q. 19. num. 1. Bartol. in *l. 1. §. nec castrense ff. de collat. bonor.* imò nec illi conferuntur, quos Mater transmisit. *l. alimenta. 11. C. de negot. gest.*

gest. quia non tantum Pater sed etiam Mater liberos domi alimentare tenetur, & quidem gratis, Hartm. Pistor. d. l. n. 3. quamvis limitatione hac in re opus sit, si nempe filius expensas studiorum causa à Patre factas, non consumpserit in pravos & flagitiosos sed in bonos usus, alias enim ejusmodi sumptus in collationem veniunt, cum causa, propter quam sumptus isti missi erant, non est secuta, Bartol. vel si filius renunciavit successioni Paternae propter expensas studii absque juramento, licet enim per *c. quamvis de pact. in 6.* renunciatio talis sine juramento facta non valeat, attamen facit, ut sumptus hi computentur in ejus partem, secundum Jason. in *auth. quod locum C. de Collat.* vel si filius habeat bona propria, vel adventitia, quae ipsi à Matre vel aliunde obvenerunt, vel castrensia, & tunc in dubio praesumitur Patrem hos sumptus suppeditasse filio de bonis filii propriis *arg. l. Ness. 34. ff. de reg. gest.* quando ergo Pater, dicit Harm. Pistor. p. 1. q. 19. num. 6. penes se habuit aliquid honorum ad filios peculiariter pertinentium, tunc non de suis quicquam donasse, sed de bonis filiorum erogationem fecisse intelligitur. Secus, si non habet bona propria, & tunc Pater non credendi, sed donandi animo videtur filio subministrasse hos sumptus per *l. que Pater 32. ff. fam. erisc.* vel si Pater sumptus studiorum causa erogatos specialiter (in peculiari libro in hunc finem confecto, ut de expensis filii constare queat) consignavit, tunc enim Pater credendi animo sumptus filio ad prosequenda studia factos praebuisse censetur, quos absque omni dubio conferre tenetur. Hartm. Pistor. p. 1. q. 19. num. 5. Idem etiam dicendum puto de sumptibus peregrinationum vel Doctoratus causa filio factis, quod nempe filius ex praesumptione liberalitatis conferre illos in divisione haereditatis Paternae haud teneatur, & quia ex filii honore Parentum, & totius familiae nomen crescat. Carpzov. *Jur. pr. Forens. part. 3. const. 11. def. 18.*

Q U A E

Q U Æ S T I O VII.

An si quis compressam ab alio, quam virginem esse credebat, ducat in uxorem, matrimonium ob hunc qualitatis errorem dissolvi possit?

Sicuti sine justâ causâ dissolvi matrimonia justo limite prohibemus, ita ad versâ necessitate pressum vel pressam, quamvis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari, dicunt Imp. in *l. consensu. 8. §. 1. C. de repud.* Quibus verbis indicare voluerunt, divortia non nisi ob justas & approbatissimas causas permittenda esse; cum non sit hominis eos, quos Deus conjunxit, sejungere *Math. 19. v. 6.* Hinc Canonistæ comm. negant, & in vim decisionis adducunt *c. unic. in fin. 29. q. 1.* ubi dicitur, quòd qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non possit eam dimittere, & aliam ducere: imò eum qui meretricem ducit, opus misericordiae facere. *c. quemadmodum 25. X. de iurejurando.* quam decisionem etiam firmanr his rationibus, nempe 1. quòd sponsus ipse in culpa sit, sibi que imputare debeat, quòd non melius in conditionem mulieris quam ducturus erat in uxorem, inquisiverit: cum in aliis contractibus cuilibet cum aliquo contrahenti incumbat, ut diligentius inquirat in conditionem ejus, cum quo contrahit. *l. qui cum alio 19. ff. de R. l.* Communiter tamen & à Theologis & Jctis, hæc assertio pro paradoxa & erroneâ habetur: Quamvis enim matrimoniû tale ab initio valere negari non possit; attamen dissolvi nullibi prohibetur. *Carpzov. Jurispr. Forens. part. 4. const. 20. defin. 12.* Afferunt deinde etiam ad sententiæ suæ confirmationem, *c. si quis uxorem 32. q. 1.* ubi dicitur, quòd sponsa sponsum ob omisam virginitatem repudiare non possit. Ergò nec sponsum sponsam hanc ob causam repudiare posse concludunt. *arg. tit. ff. quod quisq; iuris in alt. stat.* Sed nos paucis respondeamus, & dicimus, illud, quod hic de sponsâ dicitur, esse falsum, quia de novo Jure mulier virum accusare potest. *auth. sed novo jure*

jure. de repud. & à viro penitus abstinere. Novell. 117. c. 9. in fin. Const. Car. V. art. 120. Tertio argumentantur ita: Si ob vitia animi sponsus sponsam repudiare nequit, multò minus ob vitium aliquod adhærens corpori à se dimittere poterit. Atq. prius est verum per *l. penul. C. de repud. circa fin. E. & posterius.* Nam corporis vitia vitis animi sunt leviora: cui nos paucis respondemus, animi labes indies corrigi posse, sed vitium hoc corpori illatum tolli neutiquam posse, juxta Ovid.

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia.

Quartum argumentum desumunt ex *l. 11. §. si quis virginem §. ff. de act. empr.* ubi dicitur, quòd etsi quis mulierem pro virgine emerit, contractus emptionis nihilominus subsistat, quia in sexu non est erratum. Sed illos malè argumentari dicit Carpzov. quia multò gravius læditur ille, qui vitiatam pro virgine in uxorem ducit, quàm qui mulierem pro virgine emit: nam vir vitiatam talem ductam per dies vitæ retinere cogitur, res verò emptæ iterum pro libitu distrahi possunt. *in pract. crim. part. 2. quest. 63.* Sed nos missis his affirmativam defendimus, quæ est, quòd si Vir puellam se pro virgine gerentem duxerit, & ab alio vitiatam deprehenderit, repudiare possit, cujus rationes hæc sunt. Quia in sacro Codice connubium cum vitiatâ contractum non modò rescindi præcipitur, sed dicitur ulterius, quòd fœmina, quæ vitium corporis passa sit, capitali pœnâ sit puniendâ & lapidibus obruendâ *Deut. 22. v. 22.* quam severitatem & aliæ gentes sequutæ sunt, quomodo apud Terent. *in Hecyra.* Pamphilus recusat ducere ab alio compressam. Cui etiam consentit Jus Canon. inquiens: Qui mulierem bonam expellit, bonum expellit, qui autem retinet adulteram, stultus & fatuus est. Jam autem etiam crimen adulterii in sponsâ alterius committitur. *l. si uxor. §. 3. ff. ad L. Iul. de Adult. E.* Vir adulteram vel ab alio compressam retinere non cogitur: quo etiam faciunt verba Lutheri. *in tom. 5. Jenens. German. fol. 250.* Wann einer seine öffentliche Verrawre nicht rein fünde/ sondern zuvor von einem andern beschlaffen/ er fünde nun gleich das vor der Hochzeit/ oder hernach/ so ist kein Gebott Gottes/ daß ihm gebiere die vtreine Dir ne zubehalten. Secundò ita argumentamur: Si error con-

ditionis vitiat matrimoniū, multò magis id vitiat error qualitatis. Atq. prius est verum de Jure Canonico. E. Et posterius. nam major imò multo intolerabilior est dolus hic, quàm error conditionis, cum in hoc errore qualitatis videatur prorsus deesse consensus decepti, nam si scivisset eam fuisse vitiatam, illā nunquam duxisset in uxorem. Schneidvv. *in tit. 10. de nupt.* Unde etiam ipsa experientia testatur, talia matrimonia, si pars innocens talem conjugem retinere cogatur, tristissimos plerumque sortiri exitus *c. praterea X. de sponsal. c. cum locum 14. c. requisivit. 17. d. t.* Maritus enim in perpetuā suspitione hæret, semel malam, malam etiam in posterum futuram. Sententiam hanc nostram etiam defendere videtur *l. ex empto. 11. §. si quis. 5. ff. de act. empt.* ubi illi ex empto competit actio ad resolvendam emptionem, qui mulierem, quam putabat esse virginem, pro virgine duxit, multò magis ergò resolveretur contractus matrimonii, si quis vitiatam pro virgine duxit, nam est contractus dolo initus, & idcirco nullius momenti, nec ab invitâ parte deceptâ custodiendus est. *l. 7. §. 9. ff. de pact.* Unicum tantum adhuc brevitas causa proferam, quod est tale: Ubi nulla conjugalis est affectio, ibi nullum matrimonium, quia ubi rei forma deficit, ibi res ipsa subsistere nequit: Atqui in matrimonio cum vitiatâ contracto nulla conjugalis affectio est, per *Novell. Leon. 93.* Quomodo, inquit, vera sponsalia sunt, in quibus nihil verum & genuinum conspicitur, ubi meretricium se offert scelus, ubi causæ dissidiorum sunt, & odii, ubi animorū alienatio? Quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus sponsalisq; amor? Sed cautè tamen hæc in re procedendum est, & non facile dissolvenda sunt conjugia, ne propter suspiciones, aut offensiones qualescunque in periculum veniant innocentes, sed sapius, imò sapissimè tentanda est reconciliatio, ut deceptus retineat vitiatam, imprimis si est moderata, & ubi spes est emendationis: hinc Lutherus consultus à quodam respondit: *Darumb wår das mein rath / wo sie sich hinfort rechtschaffen hieltet / daß ihr sie nicht verstießet / daß sie doch nun fort sich muß ewiglich für euch demütigen. tom. 6. lenens. Germ. fol. 531. & in tom. 5. p. 250.* dicit: *Wann es ein guter Mann ist / der sich darzu bereden liesse / vnd neme gleich ein Schaden Gelt darfür / vnd behielte sie in hoffnung /*

31.

nung/ daß sie sich hinfort recht halten würde / daß war wohl ge-
than/ vnd besser dann geschieden. Si verò reconciliatio locum
invenire non possit, pars innocens & sic enormiter decepta li-
bera pronuntiatur. Schneidevv. tit. de Nupt.

Ad Pracellentem marq̄ue Pereximium Dominum

Respondentem.

Dulce solum Patriæ: sed dulcior est Themis, ambo
Hæc si concurrunt, dulcius ecquid erit?
In patriam tendis, Themis est comes, id satis hæcce
Ostendunt doctâ lemmata scripta manu.
Ergò dulcedo duplex Tibi, Amice, parata,
De qua (sic credas) gratulor ex animo.

Properante calamo abiturus

fecit

Jacobus Bernhardus Gsell, Dd.

*Pereximio & Præstantissimo Dn. Respond. Authori hujus
Disputationis, Affini suo Per dilecto.*

Impiger ut Miles sequitur radiantia Castra
Intrepidus seque in discrimina plurima mittis
Ut laudem famamque queat referre superbam:
HEYDI sic sequeris radiantia honore Sacrarum
Pieridum Castra, & Studiis tua tempora tractas,
Doctrinam ut facias comitem, famamque perennem.
Imperterritus hinc & pulpita publica scandis
Doctorum, & totis defendis viribus illa
Hæc quæ scripta docent? Laus sic Te magna sequetur!
Det **DEUS** Altipotens procedant ut benè cuncta!

Fausta gratulationis ergo

f.

Conradus Spölin.

32.

*Pracellens & Pereximie Dn. Disputans, Affinis &
Amice singulariter dilecte.*

Non laudis affert hæcce solutio
Parum Tibi, dum non malè differis;

An Principem obstrictum tenere
Jura queant, aliàs Supremum.

Non laudis affert illa solutio
Parum Tibi, dum non malè differis:

Succedat an qui post, vel antè
Regia sceptrâ secuta natus.

Sic laudis affert ista solutio
Multum Tibi; Solemnia Testium

Dum queis voluntas munienda
Ultima quæque doces peritè.

Est plurimum sanè ardua quæstio
Quæ infamiam nobis Spurii exhibet;

An Juris, an Facti laboret
Undique dissidet Eruditus.

Et ardua est hæc quæstio: Filius
An debeat conferre bona omnia

Hereditate in dividendâ
Quæ Pater ad Studium locavit.

En! illa queis circumdata litibus
Est insuper: Cum quis sociam sibi

Jungit stupratam, nesciens, an
Vincula sint soluenda lecti.

Hæc sedulo conanime differis
Hæc sedulo tentamine discutis.


Quid restat? Ut tandem sequantur,
Præmia digna Tuo labore!

*Hoc quicquid est congratulationis Dn. suo Affini,
Commensali, & Amico, in amicitia
refferam apposuit, ut debuit*

Joh. Georg. Spölin, LL, St.

F I N I S.







Strassburg, Diss., 1667

X 22842 98

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

399

MAX. BENE VERTAT.

OVERSI-
IDICARVM

TRIVM.

ADEM.

1667 10. ✓

SIDE

RO

bilissimo & Consul-
mo

NE REBHAN,

. Cod. & Feud. Consuet.

colleg. Jurid. Senior. gra-

at. Consiliario.

& Praeceptore suo ævum
ando.

Disputaturus

HASAR. HED.

nnensis.

Februarij
~~Januarij~~ h. lq. sol.



TORATI

IS WELPERI.

DC. LXVII.